

QVÆSTIO IV.

Quomodo Christus dicat, Ego non iudico quenquam?

24. B I I C I T D. Augustin. tract. 36. in Ioan. Nos dicimus Christum venturum iudicem viuorum, & mortuorum, quomodo ergo ipse ait, ego non iudico quemquam, quæ videntur contraria? Respondet primò D. Augustin. citatus. Beda, Rupertus, Ericus; Non iudico quemquam secundum carnem, indeque falso, & iniquè, vt vos facitis, sed iudico secundum rationem, & spiritum, ideòque certè, ac rectè iudico.

25. Secundò D. Chrylost. homil. 51. Leont. Theoph. Euthym. Albertus Magnus, D. Thom. Caietanus, Hugo, & alij, qui sic explicant. Non iudico quemquam: modo scilicet hoc primo meo aduentu. Sicut ipse dixit; Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsam. Ioan. 3. num. 17. sed iudicabo postea aduentu secundo, sicque non negat de se iudicium, sed illud differt. Poterant enim Iudæi obicere Christo, si te malè secundum carnem iudicamus, cur nos non arguis, aut condemnas? Respondet Christus: Ego non veni in mundum, modò ad iudicium, postea iudicabo vos in die iudicij, si enim vos modò iudicarem, vtique vos condemnarem, sed nunc non est iudicij tempus. Tertid. Elias Cretensis Orat. 4. de Theolog. Greg. Nazianzenus sic interpretantur. Ego non iudico quemquam, quatenus homo sum.

26. Communiter Recentiores Maldonat. Barrad. Lucas Burgenf. Cornelius à Lapide, & pro se adducunt D. Ambros. lib. 5. Epist. 20. asserunt; Quod iudicare, non solum significat sententiam ferre ex tribunali iudicij, sed etiam aliorum facta, ac animi sensa pendere, ac existimare; sic & Pharisei secundum carnem, non tãquam iudices è tribunali in Christum dicebant sententiam, statuentes eum tantummodo esse hominem, quia externa cato id testabatur, ait tunc Christus. Ego non iudico quemquam. Id est ego nõ testificor quidquam de aliquo, vel neminem accuso, vel damno, videlicet ore, vel sermone, vel etiam ex his, quæ exterius apparent, sed mea scientia, ac cognitione ingenita, & infinita, qua vos culpo, & condemno.

27. Ait Christus Dominus. Ego non iudico quemquam. Quia ipse valde pronus est ad misericordiam, & salutem; non verò ad condemnationem. Meritò dubitat. Tolet. Ioan. 1. annot. 75. Quod cum Christus Dominus, sit constitutus à Deo iudex viuorum, ac mortuorum. Act. 10. n. 42. & Ioan. 5. n. 12. dicatur. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Cur potius nomen à saluando, quam à iudicando sumptum est; maximè quia omnes iudicabit, non tamen omnes saluabit effectu, multi enim peribunt. Respondet ipse Cardinalis. Est nomen acceptum à saluando, quia quamuis venturus sit iudicare, tamen non assumpsit carnem patibilem, nec factus est homo, nisi vt saluet.

28. Agens Christus Dominus de die iudicij ait. De die illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in celo, neque filius, nisi Pater. Matth. 24. n. 36. Quæ verba maximè examinant Theologi cum D. Thom. 3. p. quæst. 10. art. 2. Quando Christus Dominus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, de se ait, quod diem illum furoris, ac iudicij nesciat.

Respondet Paludanus ad citatum locum D. Thom. Paludan. Non nouit, ait, diem ira ipse clemens, neque diem furoris ipse patiens: Nouit sanè diem illum, sed non nosse dicitur, quia dolet, refugit, exhorret. Planè cum Christus primum venit, non venit, vt iudicet, sed vt saluet. Saluator igitur nescit iram, non nouit furorem. Hinc Iesus rigide obmutescere imperauit Dæmonem illum importune clamantem. Venisti perdere nos. Luc. 4. n. 34. Tertul. lib. 4. aduers. Marcio. cap. 6. quia iudicis, & ultoris, ait, & vt ita dixerim, scui Dei agnouerat Iesum, non optimi illius, & perdere, & punire nescientis.

Ioan. 8. n. 16. Et si iudico Ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.

Num. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

Num. 18. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

VERSIONES.

Syriacus. n. 16. Veruntamen si iudicauero, iudicium meum verum est.

Vatablus n. 18. Qui testimonium fero de me ipso.

Græcus. Qui testor de me ipso.

EXPOSITIO III.

T si iudico Ego. Supra dixerat Dominus. Non iudico quemquam. Nunc verò subiecit. Et si iudico ego, id est admittamus, quod ego iudico, testor, siue affirmo tam de me, quam de aliquo alio: iudicium meum verum est, legitimum nempe, ac fide dignum. Multas iniurias in se iactatas patienter sustinuit Dominus. Ioan. 7. n. 20. Tamen quod eius testimonium de mendacio arguatur, minimè dissimulat, sed multis eius veritatem ostendit. Quia solus non sum: iudicans, & testificans, sed ego, & qui misit me, in mundum Pater. Nam, vt ait Intelinea. Et si homo sum, Patrem tamen non deserui. Quamuis enim missus sim per carnem in mundum, tamen ego, & Pater semper simul sumus per deitatem: vnde vtriusque idem est iudicium; ac testificatio, & voluntas. Euthymius. Omnia, ait, nobis sunt communia: & quicquid ego iudico, hoc & Pater; vna enim ambobus est voluntas.

Obicit D. August. tract. 36. in Ioan. Dominus si solus esses, falsum esset iudicium tuum, & ideo verum iudicas, quia solus non es, sed tu, & qui remisit Pater. Respondetur Christi testimonium nunquam falsum potuisse esse, sed semper verissimum consistere: Christus autem sic loquitur, vt ostendat opera Trinitatis ad extra inseparabilia esse, & suum testimonium esse simul cum Patre, & Spiritu sancto, ac simul duarum personarum, vt lex præscribit.

Et in lege vestra. Vbi à Deo data, vt exponunt D. Augustin.

August. Beda. Rupertus. Ericus. Chrylost. Leont. Theophyl. Euthym. Albert. Mag. D. Thom. Caietan. Hugo. Ioan. 3. Elias Cret. Maldonat. Barrad. Burgenf. Concl. Ambros. Christus venit ad saluandum, & non ad damnandum. Tolet. Actor. 10. Ioan. 5. March. 14. D. Thom.

D. August. Beda, Rupertus, Albertus Magnus. Vel in lege vestra, de cuius obseruantia vos Pharisei maximè gloriamini, vt ait Euthym. Quia duorum hominum testimonium verum est, scilicet legitimum, ac fide dignum; & quamuis aliquando possit esse falsum, vt patet de historia Naboth 3. Regum c. 21. n. 11. Et de historia Susannæ, Daniel. 13. n. 3. Et de Stephano, Actor. 6. n. 11. tamen regulariter loquendo è iudice debet haberi pro vero, nisi euidenter de falsitate deprehendatur.

32. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso. Nullus de se ipso iudicium, ac legitimum testimonium perhibet; ad hanc tamen obiectionem, quæ fieri poterat, respondemus; quod Christus Dominus, vt Deus testificatur de se pro vt homine, ac proinde dupliciter se ipsum Christus Dominus considerat, vt Deus, ac homo; vt Deus testimonium dat de se secundum naturam humanam. Meritòque Patres ex hoc loco contra Nestorianos & Euthychianos comprobant in Christo vnã esse personam diuinam, & duas naturas, scilicet diuinam, & humanam; sic in præsentì D. Cyrill. D. Chrylost. Theophyl. Leont. Ammon. in Catena Græca. D. Ambros. lib. 5. de fide cap. 2. D. Fulgent. lib. 3. Thrali: Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater, Per vocem auditam in Iordane. Hic est filius meus dilectus, &c. vt notat Beda; Deinde per opera diuina, miracula scilicet à Christo facta. Tandem etiam per ipsam vocem humanam, quidquid enim Christus loquebatur, loquebatur etiam, & agebat Deus filius per humanam naturam, vt per instrumentum sibi coniunctum vnitate personæ, hoc idem loquebatur, & agebat Deus Pater per eandem naturam, vt per instrumentum à se separatum. Verba, que ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Ioan. 14. num. 10.

Ioan. 8. n. 19. Dicebant ergo ei; vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque patrem meum, & si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

Num. 20. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia nec dum venerat hora eius

VERSIONES.

Nomus n. 19. Quis est Pater tuus. Syriacus. Si me nossetis, & Patrem meum nossetis.

Euthym. Mald. Vtique & Patrem meum cognouissetis.

Caietan. Græc. n. 20. Locutus est Iesus in arca, seu custodia gazæ, seu pecuniarum.

Hebraicus. Locutus est Iesus in Corbona, seu Oratio.

EXPOSITIO IV.

33. D I C E B A N T ergo ei. Vbi est Pater tuus? Quomodo animo interrogassent Iudæi. Sylueira in Euang. Tom. IV.

D. Cyrill. in Catena Græca. Leont. asserunt, quod per contemptum, & irrisionem hæc dixerunt, sibi enim persuadebant, quod Patrem suum eis non posset ostendere, nam fortè Christum esse spurium, & ex adulterio natum existimabant. Secundò D. Augustin. Beda, D. Thomas, Albertus Magnus censent eos de patre carnali locutos, nempe de S. Ioseph, vt inde eum arguerent, quod sic se iactaret de parte humili, & fabro. Tertid. D. Chrylost. Theophyl. Euthym. Rupert. Carthuf. rectè astrunt: Quod Pharisei intelligant Christum Patrem suum dicere Deum, vt ante intellexerunt cap. 5. num. 10. tamen fingunt se non intelligere, vt inde clarius aliquid ab eo coniciant, quo audito cum vt blasphemum accusent, ac lapidare faciant: Nunquam malignitas Iudæorum à sua nequitia destitit.

Vbi est Pater tuus? Caietan. De loco quarunt Dei, quem credebant vbique esse, & proterea non meruerunt responsum ad quæsitum, sed ad ignorantiam; iniqui dum arguunt, suam ignorantiam ostentant. Respondit Iesus. Quia captiose proposuerunt quæstionem, vt eum caperent, non apertè dixit Christus, quod Pater suus esset in celo, sed indirectè respondit Iudæorum calumniam declinans; eorum ignorantiam arguens. Neque me scitis, neque Patrem meum. Nam cum me iudicatis purum hominem, & deinde non alium habere patrem, quam hominem in terra, omninò erratis, & non me scitis, qui sum Deus verus natus ex Deo vero. Cum autem ait Ioan. 7. n. 28. Et me scitis, & vnde sim, scitis. Ibi agit, de se vt homo est, hic de se loquitur vt verus Deus. Origenes in præsentì ait, quod Ioan. 7. loquebatur Christus Ierosolymitanis, qui eum nouerant, hic verò agit cum Phariseis, qui eum non agnoscebant, & eius hostes erant; inimici enim nunquam tua magnalia agnoscent; si me sciretis, per mea opera, virtutes, ac scripturas, vt explicant D. Thom. Albert Mag me esse verum Deum. Forsitan. Græcè idem valet, ac vrique. Et vt notant D. Augustin. Beda, Rupert. D. Bonau. Forsitan in præsentì, non est verbum dubietatis; nam diuinitas non opinatur, sed ponitur pro admonitione nostræ libertatis, ac etiam vt dubietas hominum arguatur; Acti Dominus dicat seruo: Contemnis me, vide, quod forsitan Dominus tuus sum. Et Patrem meum sciretis. Quod sit Deus æternus, qui me filium suum misit in mundum. D. Cyrill. in Codice Vaticano Manuscripto. Ianna quadam ait, filius est ducens in cognitionem Patris. Ioan. 14. num. 6. Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me. Origenes in præsentì, nosse, vel, scire sumit pro amare: id est, si me amaretis, vtique & Patrem meum amaretis.

Hec verba alta, & sublimia; Ego sum lux mundi ex Patre Deo natus, ex ipso consentiente omnia loquens, locutus est Iesus in Gazophylacio. Notat Euangelista sermonis locum. Gazophylacium, id est repositorium, seu arca, in qua ad pia opera mittebatur pecunia, hic verò non sumitur pro ipsa arca, sed pro loco, in quo erat ipsa, vbi frequenter magna populi multitudo conuenerat, de quo quæstione sequenti. Et nemo apprehendit eum, scilicet ex Phariseis, licet id maximè vellent; quia nondum venerat hora eius. Quam ipse cum Deo Patre sibi constituerat. Pulchre ponderat Origenes in Ioan. tom. 28. Eius enim verba, ait, valentiora erant iis, qui eum volebant comprehendere. Et quaudiu dicit, nemo eum comprehendit eorum.

August. Beda. Rupertus. Alb. Magnus. Euthym. 3. Reg. 21. Daniel. 13. Actor. 6. Cyrill. Chrylost. Theophyl. Leont. Ammon. Ambros. Fulgent. Beda. Ioan. 14. Magnus non patitur vt de mendacio arguatur. Intelin. Euthym. Augustin.

Cyrill. Leont. August. Beda. D. Thom. Alb. Mag. Chrylost. Theophyl. Euthym. Rupertus. Carthuf. August. Caietan. Iniqui dum arguunt, suam ignorantiam detegunt. Ioan. 7. Origenes. D. Thom. Albertus. August. Beda. Rupertus. Bonauent. Cyrill. Ioan. 14. Origenes. 35. Origenes. BB 2 qui

